



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte
Orandi & meditandi methodo**

Balsamo, Ignazio

Coloniæ Agrippinæ, 1612

Cap. XXXVI. Quid faciendum post orationem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)

QUID FACIENDVM SIT
post orationem.

CAP. XXXVI.

1. **O**RATIONE absoluta faciendum est è vestigio examen particulare, de eadem ratione vel meditatione, hac methodo. Sedēdo vel suauiter ambulando, considerabis per quartam vnius horæ partem, quomodo oratio successerit, benè an malè: si benè, gratias ages diuinæ bonitati, teque humiliabis, & agnosces id tuum non esse, sed à Deo proficisci: si malè, veniam ab eo flagitabis.
2. Deinde causas inquires, vnde id prouenerit, & considerabis singulatim, quomodo & qua cum diligētia, omnia quæ seruare oportuit, perfecris, & qua in re officio tuo defueris, firmumq; propositum, deinceps ea diligentius obseruandi, facies.
3. Retinebis mente fructum aliquem, quē in oratione Deus tibi comunicauit, vt eum ad profectum tuum conuertas.
4. Totius diei negotia breuiter & sapi-

sapi-

sapienter dispones, & bona quædã
proposita, quæ Deus tibi inspiraue-
rit, concipies.

II. Si post orationem vel meditati-
onem punctum aliquod utile, quod
iuter meditandum vel receperis vel
cognoueris, scriptis mandare volu-
eris, vt eo postea ad tuam vel proxi-
mi vtilitatem vti valeas, id non mo-
do liberũ erit, verum etiã laudabile.

3. Nonnunquam ante prandium,
aliquando ante cœnã, meminisse o-
portet matutinæ meditationis gene-
rãtim, maximè puncti illius, quod
in memoria reconditum fuit, illudq;
paulisper ruminando, deuotionem
renouare, atq; illud Prophetæ adim- *psal. 75*
plere. *Reliquia cogitationis diem festũ
agent tibi.*

4. Bona proposita matutino tem-
pore facta in opus conferenda sunt,
ideoque in omnes illorum perficiẽ-
dorum occasiones nos intentos esse,
aut eas procurare oportet. Etenim
is est præcipuus orationis noster fi-
nis & fructus.

5. Opera danda est vt per diẽ col-
lecti,

L

lecti,

lecti, atque in continua deuotione
 maneamus, ab omni distractione,
 quoad fieri potest caueamus, nec Dei
 vlllo vnquã tempore obliuiscamur,
 sed cum Propheta omni loco, corde,
 & ore dicamus. *Prouidebam Dominũ
 in conspectu meo semper.*

Psal. 10.

6. Ad extremum, vt omnia quæ ha-
 ctenus dicta sunt, cõcludamus: Quis-
 quis in sancto hoc orationis & me-
 ditationis exercitio, profectum ali-
 quem insignem facere desiderat, bis
 in hebdomada, super his quæ ad ora-
 tionem pertinent, quandoquidem
 maximi momenti tota res est, dili-
 gens examen instituet. Examinabit i-
 gitur, quomodo meditatio succe-
 dat, an profectum aliquem in ea fa-
 ciat, an impedimentum sentiat, & al-
 lia his similia. Vnamque hebdoma-
 dam cum altera, & mensem vnum
 cum altero conferet. Vt verò examẽ
 hoc ritè fiat, oportebit certe dies &
 horas, quibus illud instituendum sit
 determinare, exempli causa, Feriam
 quartam & Sabbatum, post orationẽ
 matutinam, vel cœnam vespertinam.

Possent

Possent proculdubio plura huc
adijci, ad hanc materiam spectantia,
sed nostræ intentionis non est inte-
grum volumen contexere, verum
summa cum breuitate, quæ ad praxin
orationis maximè vtilia & necessa-
ria futura essent, annotare.

Si autem quis fusiorem harum re-
rum tractationem requirat R. P.
Ludouicum de Ponte, Granaten-
sem & alios, qui de illis
latius scripserunt,
consulat.

F I N I S.